



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. 1. Sententia adversaria ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

propter D. Dionysius cap. 7. de diuin. nominibus, a'lerit Deum cognosci per scientiam quoad an est, & per ignorationem quoad quid est; unde ipse c. 2. de celesti hierarchia, sic ait. [Non quam dissimilibus interpretationibus, quæ negant, ab eisdem scripturis laudibus diuina essentia ornatur. Ut cum eam, ut ita dicam inuisibilem dicunt, immensam atque incomprehensibilem: quæ quidem non quid sit, sed quid non sit significant. Hoc enim mea quidem sententia magis proprie in ea dicitur, &c. idem Basilii oratione de Verbi Incarnatione, quæ habetur tom. 2. Bibliotheca Sanctorum Patrum: [Si quis pietatis (inquiens) sectator est, is quid sit Deus curiose non inquirat, verum ex iis, quæ ab illo facta sunt, eum esse cogiter, illudque certo apud se statuat, siquidem ex procreatarum rerum magnitudine, & pulchritudine illarum molitor, & opifex certa quadam ratione dignoscitur & spectatur.] idem docet Beda, sermone in Psalmum 52, ibi sicut ventorum substantia, &c. D. Hieronymus super illum locum prima ad Timoth. 6. & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, verumque hoc significari declarat, per lucem enim euidentia cognitionis diuinæ, quoad an est, per partem inaccessibilem obscuritas cognitionis diuinæ, quoad quidditatem denotatur; unde hæc lux, inquit Cornelius noster nobis est inaccessa & sic non lux, sed caligo est; hinc in veteri testamento Deus Moyfi, & Prophetis apparuit in nube, & caligine Exodi 20. vers. 21. Ps. 17. vers. 10. & 12. Posuit tenebras latibulum suum. Psalm. 96. Nubes & caligo in circuitu eius; quæ de re S. Dionysius Epist. 5. ad Dorothæum, caligo inquit lux diuina est inaccessibilis, in qua inhabitare dicitur Deus, hæc est inuisibilis propter eximiam claritatem, & inaccessibilis propter immensam luminis copiam; lux ergo Dei infinita vocatur in scriptura caligo & nubes, quia perstringit oculos nostros, ita ut non magis immensam hanc Dei gloriam intueri possint, quam densissimas tenebras altæ caliginem, seu nubem atram; hæc denique luce Ethnicorum, & perstringuntur, ut tantæ diuinitatis maiestatem ac præstantem diuinitatem perfricata fronte pertinaci iudicio & obdurata mente negare ausi fuerint, cuius pertinaciam, cuius ignorantia tenebras luce veritatis dispellere, ac propugnare præsentis disputatione contendimus, quod vnam nobis concedat splendidissima sapientia Patris; ut autem hoc ab ipso comparare possimus, verbis Arnobij vtamur: O maxime, ô summe rerum inuisibilium procreator, ô ipse inuis, & nullis unquam comprehensibilis, dignus, dignus es vere (si modo dignum mortali dicendum est ore) cui spirans omnis intelligensque natura, & habere, & agere nunquam desinat gratias: cui tota conueniat vita genu nixo procumbere, & continuatis precibus supplicare, prima enim in causa es, locus rerum, & spatium, fundamentum cunctarum quacunque sunt, infinitus, ingentis, immortalis perpetuus, solus, quem nulla delineat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio qualitatibus, expertus quantitatibus sine situ, & motu, de quo nihil dici, & exprimi mortalium potest significatione Verborum; qui ut intelligaris tacendum est; atque ut per umbram te possit errans inuestigare suspicio, nihil est omnino mutandum. Da veniam Rex summe tuos persequemibus famulos, & (quod tua benignitatis est proprium) fugientibus tui nominis, & religionis cultum ignosce. Non est mirum si ignoraris: maioris est admi-

rationis si sciaris, Fons rerum, sator seculorum, ac temporum, Pater rerum, ac dominus, confisor, moderaiorque cunctarum, ô sanctissime vniversi huius gubernator & parens, qui idcirco hominibus animum intelligentia conspique participem donasti, ut immensa potestatis, bonitatis, sapientia tua aliquid in terris simulacrum exaret, & cum reliquæ animantes ad pabulum abiecta ventri seruirent, illi in te contemplando, colendo, & collaudando omnem suam vitam, voluptatem, operam, & cogitationem ponerent, ac collocarent: da, ut quando mortalium nemo maiestatis tue præstantiam animo, & ratione comprehendere nedum sermone disserere, & saltem nihil de te alienum, absurdum, impium, aut medicemur, aut loquamur, nosque tuarum legum præceptis studiosissime parentes à contagione corporum, castos integrasque præstemus, quo vitam celestium in hoc exilio imitari, & olim membrorum nexibus exsolui, atque ex isto corporis ergastulo cuius odiæ dimissi, ad Beatiorum carum consiliumque peruenimus, ubi te coram, & siquis es contemplantes sperata voluptatis magnitudine, ad innumerabilem seculorum ætatem potiamur, dum tamen in hoc orbe terrarum peregrinamur à domino spiritum decimus, vitam transigimus & ære puro fruimur, nostris membris splendidissimum tua cognitionis radium offundere ne dedigneris, nostræque calamo spiritum concedas viuificum, quo scopum rectæ collimantes tua diuinitatis Maiestatem decoremus, dissiparis penitus ignorantia errorumque tenebris rationum vi, Ethnicorum geniumque mentes, ac intellectus manducamus in tanta lucis, & clarioris cognitionem.

DISPUTATIO XVII.

De Deo Optimo Maximo.

QVÆSTIO I.

Vtrum demonstrari possit euidentis ratione Deum esse.

SECTIO I.

Sententia aduersaria ponitur.

PRIMA sententia docet nullo modo posse demonstrari euidenter Deum esse, hanc sententiam defendunt Balolis in 1. distinct. 2. quæst. 1. art. 5. & distinct. 3. quæst. 1. art. 3. Adamus distinct. 2. quæst. unica, Maior quæst. 1. conclus. 2. Aliafensis, Dionysius Cirtencensis, Gaspar Celsius & alij multi, probatur sic. Quia omne medium euidentis respectu alicuius debet esse proportionatum tali conclusioni: sed nullum est proportionatum existentiæ diuinæ, quæ medium proportionatum existit: ergo nullo modo potest dari demonstratio de existentia diuina: minor illa sic probatur, quia omne medium quod potest dari, est finitum: sed finiti ad infinitum, ut est Deus, nulla datur proportio: ergo nullum est medium proportionatum ad demonstrandam existentiam diuinam.

Contra

SECTIO II.

*Nostre sententia ponitur & probatur
authoritate.*

Confirmatur, in omni demonstratione vera opus est procedere à principiis necessariis, & quæ habent necessariam connexionem in re demonstrata; in ea vero demonstratione quæ per creaturas Deum cognoscimus, principia nec sunt necessaria, sunt enim de vera existentia, quæ simpliciter cõtingens est, nec habent necessariam connexionem cum existentia Dei, quæ cum sit simpliciter necessaria, potest esse non existente vlla creatura; ergo syllogismus quo ex creaturis Deum cognoscimus, solum opinionem & non euidenciam gignit.

Vergetur, præter connexionem necessariam inter medium, terminum, & extrema proportionis demonstrata, opus est, ut ipsa connexio certo, ac euidenter prænotetur, alias non ducet in euidenciam cognitionem eorum quæ connectitur, sed cognito extremo materiali alicuius habitudinis, ad aliud non opus est certo, & euidenter cognoscere ipsam habitudinem; nam agnita luce quæ habet habitudinem ad solem, non necessario sequitur ut cognoscatur habitudo, v.g. si quis crearetur modo à Deo absque vlla scientia, & antequam solem aspiceret lucem cerneret, nesciret profecto lucem à sole procedere, quod nobis frequenter vsu venit in mirabilibus effectis, quæ certum, quorum causas occultas ignoramus; atqui Deus homini in statu naturali constituto ante creaturarum cognitionem ignotus omnino est: ergo non est vnde innoscat ipsum esse causam creaturæ. Patet consequentia, quoniam ut constat in aliis effectis sola cognitio materialis effectus non est sufficiens ad cognitionem causæ, nisi præcognita habitudine ipsius ad causam; hæc autem prænotio iam inuoluit aliquam hõitiam causæ, quia non potest intelligi habitudo inter duo extrema, quin supponatur aliqua notitia illorum, ac proinde notitia dependentiæ creaturarum à Deo supponet notitiam ipsius tanquam extremam illius dependentiæ, quare cum hæc non nisi ex creaturis haberi possit, erit circulus, vel saltem impossibile, ut ex solis creaturis Deus innoscat.

Secundo principaliter sic probatur, quoniam ex creaturis vel cognoscitur aliqua perfectio Deo propria, vel nulla; si nulla, neque demonstrabitur ipsum esse, nam demonstratio non est de communibus, neque de iis quæ sunt per accidens; si vero cognoscitur aliqua perfectio propria Dei, etiam omnes cognosci poterunt, & consequenter habebimus in via cognitionem Dei claræ ac definitiue, quod falsum est: consequentia constat, namque cognitio perfectionibus omnibus alicuius entis, habetur cognitio eius definitiua. Secunda pars assumptionis ostenditur, 1. quia omnis perfectio diuina est aliquo modo participabilis à creatura, & continetur in illa quasi in vestigio: ergo si ex creaturis venire possumus in euidenciam notitiam alicuius perfectionis diuinæ, in omnium quoque veniemus.

Deinde, quia inter ipsa attributa est ratio aliqua prioritatis secundum nostrum modum intelligendi; ergo cognito vno cætera cognosci poterunt. Patet consequentia, nam ex notitia vnius attributi ad cognoscenda ea quorum ipsum est ratio prior progredi possumus quodammodo à priori, saltem materialiter, ad ea vero quæ sunt priora à posteriori, & ita cognito vno, cognoscuntur reliqua, cur enim ex creaturis, cognoscatur aliqua perfectio diuina, & ex vna proprietate creature proprietates aliæ eiusdem, ex vno autem attributo non poterunt reliqua omnia demonstratiue cognosci.

Conclusio: euidenti demonstratione naturali cognosci potest Deus, ac de facto cognoscitur à posteriori & per creaturas: sed est communis omnium Theologorum, ac Catholicorum Philosophorum sententia.

Probatur ex illo Pauli ad Rom. 1. vbi agens Apostolus de Ethnicis Philosophis, quod notum (inquit) est, Dei manifestum est in illis, inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita ut sint inexcusabiles, vbi aperte Apostolus docet ac definit Deum euidenter cognosci ac demonstratiue intelligi per veram & propriam scientiam à quocunque Philosopho, attente ponderante omnem creaturam quæ effectus Dei est; vnde Apostolus tam euidenciam docet esse hanc cognitionem, ut sint inexcusabiles si ipsum negent, aut non colant ut Deum: ergo ex hoc loco D. Pauli liquido constat à posteriori per creaturas nos posse deuenire in euidenciam ac demonstratiue cognitionem Dei, nam illa repetitio, tot verborum euidenciam significantium, v. g. manifestum est in illis, Deus illis manifestauit, intellecta conspiciuntur, ita ut sint inexcusabiles, aperte significant Apostolum Paulum non loqui de cognitione probabilis: sed de euidenti, & demonstratiua, ut optime docuit D. Hieronymus; nam explicans verba illa, *intellecta conspici*, ita ait, tam euidenter intellecta sunt ut conspecta dicantur, cui consonat Augustinus dicens, potest Deus inueniri per creaturam euidenter, ac scientifice, dicente Apostolo, inuisibilia enim ipsius per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, quæ verba hausisse videtur Apostolus ex illo *Sapientia* 13. à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri, vbi particula *cognoscibiliter*, & verbum *videri* manifestam & euidenciam cognitionem denotant: ergo non solum certum quomodocunque est Deum demonstrari per creaturas, sed etiam iudico de fide certum esse, quia clarius non poterat definiri in scriptura nostra sententia.

Dices cum P. Vasquez & cum Gillio in his verbis D. Pauli non definiri quod possit dari euidens cognitio Dei, nam ut inquit Gillius, & illa verba, videri, manifestari, conspici, non necessario inferunt assensum euidenciam, quia verbum à manifestare accipitur, in scriptura etiam pro manifestatione inuidente, imo & quæ solam opinionem gignat; nam Christus dixit *Ioann.* 17. Pater manifestauit nomen tuum hominibus, nempe per doctrinam quæ non gignebat euidenciam & *Ioannis* 14. dicitur, Philippe qui videt me videri & Patrem, vbi Christus non loquitur de euidenti cognitione; ex quibus concludit Pater Vasquez *rom. 1. in 1. part. disp. 20. c. 13. num. 8. s. Verum his verbis*, scriptura enim his locis & similibus solum contendit semper fuisse sufficiens Dei testimoniū ex mundi fabrica pulchritudine, & aliis effectibus, ut ab omnibus cognosceretur; vtrum autem notitia euidenti, an solum probabilissima nihil curat, quia quod utatur verbo conspiciuntur, & verbo, videri; parum interest; hæc namque communi quadam & magis vstrata significatione, quamlibet intellectus notitiam cum assensu determinare